

Area F
1995

Sight Recitation
Advanced Prose

Videō, patrēs cōscriptī, in mē omnium vestrum ōra
atque oculōs esse conversōs, videō vōs nōn solum dē
vestrō ac reī publicae vērū etiam, sī id dēpulsum
sit, dē meō perīculō esse sollicitōs. Est mihi
iūcunda in malīs et grāta in dolōre vestra ergā mē
voluntās, sed eam per deōs immortalēs! dēpōnite atque
oblītī salūtis meae dē vōbīs ac dē vestrīs liberīs
cōgitāte. Mihi sī haec condiciō cōsulātūs data est
ut omnēs acerbitātēs, omnēs dolōrēs cruciātūsque
perferrem, feram nōn solum fortiter vērū etiam
libenter, dum modo meīs labōribus vōbīs populōque
Rōmānō dignitās salūsque pariātur.